



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Imagines Sanctorvm Ord. S. Benedicti

Stengel, Carl

[Ort nicht ermittelt], M.DC.XXV

XXVII. Martii. S. Rvpertvs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38356

SRUPERTVS regio Francorum Scotorumq; principum sanguine editus, apud Vangiones prius Episcopus ex Monachos cum Auditores naestus es- set, omni vitiorum genere corruptos, ab ijs arreptus, seruilem in modum flagris caesus, episcopatu deiectus, ac vrbe pullus est. Verum eius sanctimonie fama, & vxoris Reginotrudis suasionibus morus Theodo Boiorum Dux, summo viri coram videndi desiderio incensus est. Primos suorum mittit, qui honestissima legatione obnoxie deprecantes inuitarent, veniret, Boicam conspe- ctu dignaretur, genti rectum fidei viuendiq; iter ingredi cupienti, docendo praeiret. Annuit Rupertus, & legatos subsequutus, Reginoburgi à Theodone, cum insigni procerum comitatu obuiam progreso, incredibili laetitia maximo applausu excipitur. Rupertus indicto jejunio, Theodonem Christianæ fidei mysterijs erudit, eruditum & satis jam confirmatum, abdicato impio pessimorum dæmonum cultu, salutari baptisme abluit. Principis exem- plum pleriq; optimates sequuti, & populi magna vis, nobilium ignobiliumq; promiscue, vna omnes voce, Dei benignitatem effusè celebrantes, quæ ex te- tra caligine in eam claritatem, nihil tale promeritos euocasset. Episcopus inde principis hortatu secundo Danubio deuectus, multam præterea pietatis se- mentem fecit, Euangelio omnibus qui secus ripam colerent libero sermone, annunciatu, ad inferiorem usq; Pannoniam, ibi exscendens iter retrò pedibus tenuit. Hinc in interiorem Boicam digressus, statuis inanium Deorum ubiq; deiectis, rudes populorum animos ad unius Dei intelligentiam erexit. Inde Iuuauiae, quod hodie Salisburgum est, pontificiam sedem posuit, templum DEO & apostolorum principi Petro cum cœnobio dicauit, aliasq; complures per Boicam ædes sacras condidit. Tandem festa Christi resurgentis luce, quæ in VI Kal. Aprilis incidit, obita re diuina, sacrorumq; mysteriorum percepto viatico, inter complorantium discipulorum manus exspirauit anno Dom. DCXXVIII. celoq; sic receptus, Boicæ Apostolus & tutela habi- tus est. Ex diuersi Script.

S. RUPERT-



S. RUPERTVS EPISC. SALISB. ORD. S. BEN.
Lustrat calesti THEODONEM fonte RUPERTVS.
Cuius ab ore Deum Boica tota bibit.

XXVIII.MAR.

G